

IN MEMORIAM

Reverend^{mi} Domini Huberti Noots

abbatis generalis emeriti

Natus in Neerpelt (in parte septentrionali Belgii), die 21 iunii 1881, die decima quinta octobris anni 1903 vestem religiosam accepit in abbazia Tongerloensi. Professionem religiosam in eadem canonica emisit die 23 aprilis 1905. Mense octobris 1906, Romam missus ad profundiores acquirendam institutionem theologicam, die 15 augusti 1907 vota perpetua solemniter emisit; et paulo post, die 8 septembris, sacerdotio auctus fuit. Doctoratu in S. Theologia dotatus apud universitatem Gregorianam in Urbe, in abbazia, cui antea nomen dederat, die 30 septembris 1910, munus cellarii, provisoris ac lectoris S. Theologiae dogmaticae ipsi concreditum fuit.

Die 15 maii 1920, iterum a Superioribus Ordinis Romam missus est, ut ibidem munus Procuratoris generalis Ordinis assumeret. Quod munus in Urbe statim cum summa energia ac sagacitate exercuit. Ita ut, 19 septembris 1921, a S. Pontifice Benedicto XV titulo abbatis titularis Florentiensis insignitus fuerit. Die 26 augusti 1927 inter membra Definitorii Ordinis annumeratus fuit. Tandem, die 30 septembris 1937, a Capitulo Generali Ordinis, Abbas Generalis Ordinis electus fuit. Quod munus per plures annos strenue perfunctus est, donec vires paulatim deficientes senectutis progredientis ipsum adegerint ut munus Abbatis Generalis remitteret Capitulo Ordinis Generali, die 18 septembris 1962.

In Urbe Roma, per maximam partem vitae suae, degens, praeter ea permulta quae egit et promovit pro Ordine ipso, expectatus fuit a pluribus qua consiliarius et promotor intentionum ineundarum ac operum susceptorum promovendorum. Praeter ea quae hac ratione quodammodo in abscondito egit, die 15 martii 1923, pro Belgio, membrum constitutus est Consilii superioris Operis Ponti-

ficii S. Petri Apostoli pro promotione cleri in missionibus ipsis ; item annumeratus est inter membra Commissionis pro Congressibus eucharisticis internationalibus. Die 4 augusti 1943, ipsi tributum est insuper munus Consultoris Sacrae Congregationis de Religiosis ; die 20 martii, pro Belgio, assumptus est inter membra Consilii superioris Operis Pontificii de Propaganda Fide. Ac Consilio oecumenico Vaticani secundo appropinquante, erat inter consultores commissionis de Religiosis institutae ad Concilium istud valide parandum.

Viginti quinque annos, qua Abbas Generalis, moderatus est Ordinem Praemonstratensem. Decurrentibus istis annis, sub eius impulsu, nova Statuta Ordinis condita et observanda edita fuerunt. « Liber Coeremoniarum » seu « Ordinarius » retractatus et editus fuit. Ac « Directorium Spirituale Ordinis » ad effectum foelicem duci potuit. In Urbe Roma, aedificium laute et perbelle conceptum et elaboratum construi iussit, ut inibi Ordo sedem aptam Curiae Generalitiae possideret, quae insimul inservire posset qua domus in qua sodales Ordinis, Romae studiorum causa degentes, domicilium haberent. In temporibus difficillimis belli universalis 1939-1945, et tumultibus variis exinde exortis, nihil omisit abbas Noots ut domus Ordinis, in quantum ipsi revera possibile erat, stragem illam foeliciter superare possent. Hac ratione, ex omni parte fidelis remanens, stemmati occasione benedictionis abbatialis ab ipso assumpto : « Ministrare et benefacere » !

Abbas generalis emeritus factus, per aliquot annos Romae remansit. Tandem, senectute aggravescente, ad abbatiam Tongerloensem, cui olim qua novitius et iuvenis professus sese dederat, reversus est.

Die 24 iulii, in nosocomio quodam urbis Antverpiensis, pie et placide obiit. Et die 29 iulii 1967 in coemeterio abbatiae Tongerloensis sepultus.

Commissio Historica Ordinis Praemonstratensis, quae plus quam semel expertam habuit specialem sollicitudinem Abbatis generalis modo defuncti erga labores Commissionis tum foeliciter in executionem iam deductos, tum animo conceptos, sensus gratitudinis libenter hac occasione palam profitetur ob ea omnia quae a merittissimo Abbate generali Noots exantlata ac perfecta fuerunt.

Commissio Historica
Ordinis Praemonstratensis.